



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Quintus. Quod auersione ab omnibus quae sunt, & quae non sunt, & conuersione ad eum, qui super omnia est secure falsum otium, & illusiones visionum transcendat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

illi, & si malè egeris, quid nocebis illi. Magna ergo constantia se ipsos durè increpant, mortificantque virtutes recta animi affectione colunt; & spirituales ariditates, quoquo modo, loco, & tempore acciderint, æquo infractoque corde transcendunt absque naturæ blandimento, benè contenti, quod ex illis Dei amicis sint, quibus [Deus sensibilem a gratiam, seu deuotionem quandoque tota vita denegat,] fortitudinis dono, magnanimoque corde prælia Domini certantes, in omni pietatis & virtutis genere. Et licet tam generosus animus in sensibili deuotione fundatus non sit: attamen in vera & reali scilicet [sola dilectione b intellectu] libero, & ab omnibus soluto spiritu solatia possidet, ac pari securitate à falsis visionibus non facilè decipitur, vnde consequenter dicitur,

*Quod auersione ab omnibus. que sunt, & que non sunt, & conuersione ad eum, qui super omnia est securè falsum otium, & illusiones visionum transcendat.*

## ARTICVLVS QVINTVS.

**Q**ui penitiùs nullitatem c creaturarum (quarum alluie humana cogitatio frequenter sordescere consuevit) assequi potuerit; vtilissima auersione tanquam à nihilo, absque vlla hæsitatione ad Deum, qui omnia & Totum est, se se conuertet. otium quoque quod ex generali inhæsiōe, &

languida exspectatione incurri solet, expedite cauebit. non enim tam citò animaduertet se cogitatione, vel affectu ad aliquod creatum defluxisse; quin simul etiam illud ipsum virtuoso contemptu excutiat, & miseram humanæ fragilitatis conditionem, ad quæuis caduca procliuem, in virtutis continuum exercitium, & spirituales puritatem transmutet.

Eadem etiam dexteritate illusiones illas visionum, raptus, Ecstasisq; morbos; quibus malitiosi homines imaginaria contemplationis negatione, & transcendentia sibi alijsque Sathanica deceptione imponunt, feliciter transgreditur. & hoc ipsum, vt magis prouidè fieri possit, obseruandum est, quod sicut carnalibus affectibus insidiantes mulierculæ (at virorum pauciores) in statibus meditationis, & aspirationis lubricum amorem, tanquam diuinum insufflant; ita quoque in statu contemplationis negatiuæ, extrema seducendi malitia subtilizatæ, etiam spiritualium virorum doctrinam, prudentiamque subindè delirio penè coadæquare; ita vt falsa pro veris accipientes, cogitationum ordinatam compositionem pro visionibus, & reuelationibus admirentur, & Sathanicam penè irrisionem (qua prudentium hominum recta iudicia subuertere gaudet,) quasi magisterium, ac instructionem admittant de qua quidem nocendi astutia iam olim admonuit Richardus d dicens. [Dæmones subindè in corde

a Taul. Ser. 1. vnus M. ex S. Bern. b Candf. 3. p. c. 3. c Candf. de Vol. Dei. 3. p. c. 9. d Rich. in Cant. c. 39

corde suggerunt falsam iustitiam, & falsam intelligentiam pro luce veritatis, etiam quædam subtilia, & quasdam reuelationes in aliquibus operantur: item quædam noua, & insolita, quæ curiosi, & simplices mirantur, & venerantur.]

Omissis porrò [varijs documentis, quibus bonæ, malæ ue discernuntur a reuelationes,] breuiter maioris elucidationis, & utilitatis gratia, varias species Ecstasis hic apponimus. Et harum prima est insania mentis, vel delirium, quæ potest oriri, vel ex nimio senio, vel atabili; quam (sicut etiam alios corruptos humores) internalis ille Coluber, quo eius mancipia (commodius ad illusiones piorum) in falsas Ecstases abire possint, commouere solet. Secunda est ex vehementi stupore vt Jacobi, b qui audiens filium Ioseph viuere, q asi de graui somno euigilabat. Tertia, in sereno animo, cum is ferriatus à sensibus in placida, ac dulci contemplatione, & dilectione Dei versatur: sicut fit in sopore diuinitus immisso, aut dulci progressu à minus intenso ad maius intensum. Quarta, est plenitudo Prophetiæ visionis, quæ in scripturis habetur frequenter. Certa etiam signa falsæ Ecstasis, apparitionis, aut visionis sunt: si post similia quis superbiat, honorari, & æstimari desideret, illibenter obediat, aut subditus sit, vel alijs vitijs notetur obnoxius esse, ac in virtutum studio segniùs agere. Ne autem contemplatio negatiua inaniter

omnia videatur transcendere, consequenter ponitur,

*Contemplationem negatiuam pro termino habere conceptum affirmatiuum.*

ARTICVLVS SEXTVS.

**N**E contemplator ita negationi intendat, vt non tantum per auersionem creaturarum, intermediam, vel etiam finalem fruitionem negando rejiciat, & eo modo omnis boni communionem se se destituat, ac extra vsum & felicitatem mysticam colloquet. Sciendum est, quod nulla prorsus adhiberetur de Deo, ac rebus diuinis negatio, nisi continuò maiorem depurationem intenderet mysticus, & cognitionis, & amoris. Vnde & sacer Dionysius, postquam charissimo Timotheo, omnem negationem suaserat, annectit; vt dein [scipsum ad e eius, qui omnem essentiam, omnemque scientiam superat, coniunctionem, & unitatem pro virili parte, clam excitet] negatio ergò in statu contemplationis, est solummodo medium, vt quis libero, soluto, ac liquido à se ipso, & ab omnibus discessu, ad diuinarum tenebrarum radium, qui omni essentia superior est, contendat. Idè etiam vult Candsfelt noster, vt via negationis, d & annihilationis tãdiu procedatur, quousque conceptum affirmatiuum attingat, & Deo, qui omnia est transcendendo, coniungatur.

Et

a Calagur. Theol. Myst. c. 8. b Gen. 45. c S. Dion. Th. Myst. c. 1. d Cands de Vol. Dei 3. p. c. 12.